ITem [1] illud, quod datur nomine gaſtaldiæ, vel guardiæ, & pro mercede [2] alicujus rei [3], transacto [4] anno [5] poteſt [6] jure auferri, etiam pretio pro eo dato, non reſtituto, niſi [7] ad certum [8] tempus datum fuerit. §. 1. Si vero gaſtaldi aliquid nomine [9] proprii [10] feudi poſſederint [11], non valebunt propterea poſſeſſionem ſibi defendere, niſi per pares curtis [12], vel breve teſtatum [13] potuerint probare, ſe, antequam gaſtaldi eſſent, vel poſtquam deſierunt eſſe, inveſtituram accepiſſe.

TIT. III.

[QUI [14] SUCCESSORES FEUDUM [15] DARE [16] TENEANTUR.]

Succeſſor prælati non cogitur inveſtituram a prædeceſſore factam, & non expletam de feudo, quod alius tenet, ratam habere. Bald.

SI vero archiepiſcopus [17], epiſcopus, vel abbas, vel abbatiſſa inveſtituram ejus feudi, quod alius detinebat [18], eo tenore alicui dederit [19], *ut poſt deceſſum ejus qui poſſidet, habeat:* & ante deceſſerit archiepiſcopus, quam ille qui feudum poſſidebat: ſucceſſores eorum non [20] coguntur [21] eam inveſtituram facere, vel confirmare, etiamſi pares ejus curtis adſint teſtes, vel breve teſtatum [22] inde ſit: niſi [23] ille, qui inveſtituram acceperit, nomine ejus feudi in poſſeſſionem miſſus [24] ſit eo conſentiente [25], qui detinet. Sed ſi ille, qui feudum poſſidet, prius deceſſerit, quam ille qui inveſtituram fecit: jure cogitur [26] eam ratam habere.

† Laici [27] vero iisdem [28] modis omnibus, quibus ſupra diximus, ſi aliis inveſtituram dederint, heredes eorum, ſi rationibus claruerint [29], omnimodo eam adimplere compelluntur.

TIT. IV.

[SI DE INVESTITURA FEUDI CONTROVERSIA FUERIT.]

Si inveſtitura ſit facta coram paribus, vel per breve teſtatum, dominus tenetur inveſtitum mittere in poſſeſſionem. Bald.

SI autem controverſia [30] inter dominum & fidelem de feudi inveſtitura fuerit: quid juris ſit, videamus. Et ſi inveſtitura facta fuerit coram paribus [31] curtis, aut in brevi teſtato: recte eum qui inveſtitus eſt, cogitur dominus mittere [32] in feudi poſſeſſionem. Si vero fuerit in poſſeſſione: & mota fuerit ei controverſia a [33] domino: ei defenſio [34] detur propter poſſeſſionem [35]. Si autem non fuerit in poſſeſſione, nec ſupra dictis modis poterit probare: tunc illius erit defenſio [36], qui inveſtituram dicitur feciſſe. §. 1. Si vero feudum aliquis habuerit, de quo nulla controverſia eſt, & dixerit *ſe inveſtituram alterius feudi accepiſſe ab eodem domino*, nec in poſſeſſione fuerit, nec prædictis [37] rationibus probare potuerit: licet domini eſſet defenſio: ex ordine [38] tamen, quia aliunde vaſallus eſt, remittitur domino ex æquitate defenſio. §. 2. Cum autem quis dixerit feudum ad ſe per ſucceſſionem pertinere, adſerendo, illud eſſe paternum [39]: ſi fuerit in poſſeſſione medietatis [40], vel alicujus partis, vel [41] cambium [42] proprietatis nomine illius feudi habuerit [43], vel aliis [44] juſtis rationibus illud eſſe paternum probare potuerit, jure obtinebit: ſi vero probare non potuerit prædicto modo, dabitur ei defenſio [45] cum duodecim ſacramentalibus [46].

Si vaſallus poſſidet caſtrum nomine recti feudi, dominus autem dicat eum nomine guardiæ poſſidere: domino incumbit probatio: & ſi probaverit, vaſallus condemnabitur: niſi vaſallus probet ſe legitime inveſtitum a domino, poſtquam in guardiam ab eo accepit: domino vero in probatione deficiente, vaſallo datur defenſio. Bald.

§. 3. Item ſi [47] vaſallus poſſederit caſtrum, quod dixerit *ſe pro feudo tenere*; & e contra [48] dominus *per guardiam* [49] dixerit *ſe ei dediſſe*, domini eſt probatio: & ſi poterit probare, tunc ille, qui tenet, domino debet reſtituere, vel [50] probare per pares curtis [51], vel per breve teſtatum, poſtquam in guardiam ſuſcepiſſet, ſe a domino pro feudo inveſtituram accepiſſe. Domino vero in probatione deficiente, tunc illius erit defenſio, qui poſſidet [52].

Si creditor emit pignus, deſinit eſſe pignus, niſi eſſet emptio ſimulata, & de ſimulatione conſtaret per certa indicia. Bart.

§. 4. Similiter [53] ſi aliquis poſſederit caſtrum, vel aliam rem, & dominus dixerit *ſe pro pignore ei dediſſe*: e contrario [54] ille dixerit *ſe accepiſſe pro feudo*, ſi potuerit dominus probare, quod ei pro pignore dediſſet: tunc ille qui tenet domino reſtituet, vel probet ſupradicto modo, ſe, poſtquam a domino pro pignore accepit, feudi nomine accepiſſe, & ſi dominus non poterit probare, ſe nomine pignoris dediſſe, erit defenſio illius, qui poſſidet. §. 5. Si quis de manſo [55] uno feudi nomine inveſtituram acceperit, & dixerit, *quod omne* [56] *incrementum pertineat ad eum per inveſtituram:* ſi [57] dominus reſervaverit ſibi aliquid [58] in ipſa curte [59], tunc oportebit fidelem incrementi inveſtituram per pares curtis vel per breve teſtatum probare. Sed ſi [60] dominus in ipſa curte nil ſibi retinuit: tunc omne incrementum jure feudi fidelis obtinebit. Si vero fidelis in poſſeſſione incrementi fuerit, non oportebit eum inveſtituram probare, ſed jurare.

1 *Item* particula repetitiva ejuſdem qualitatis. Nam ſup. §. dictum eſt de feudo non perpetuo. 2 An præterita, ut vult Petrus de Cervo, *arg. c.* 1. *in fin. in quibus cauſis feudum amittat. c.* 1. *de capitaneo, qui curiam.* An & futura; ut vult Baldus? quod verius, hoc ſenſit, feudum pro mercede, ſive præterita, ſive futura, poſt annum poſſe auferri ſive juſta cauſa, ſive alia: potentior eſt enim præterita quam futura cauſa. *l. Aquilius.* 27. *ff. de donat. l. qui ſub prætextu.* 9. *C. de ſacroſ. Eccleſ. l.* 45. *ff. de fidejuſſ.* Quid ſi feudum conceſſum ſit advocato pro patrocinio, vel ſcutifero, pro ſervitio; vel capellano, pro capellania? finito anno poteſt auferri. Nam feudum quodcunque pro mercede, eſt annale, *ut hic, c. feud. ſcutiferorum. infr. de notis feudorum.* Quid ſi pro mercede domini in vita defenſi, feudum datum eſt? perpetuum eſt. *l. ſi pater.* 34. §. 1. *ff. de donat.* Quid ſi feudum guardiæ annuum datum eſt? perpetuum quoque eſt. *arg. l. ſi Stichum.* 16. §. 1. *ff. de verb. oblig. l. ſenatus.* 35. *in fin. ff. de mortis cauſa donat.* 3 Puta advocatiæ, defenſionis, oneris, adminiſtrationis. Hujuſmodi feuda impropria. *tit.* 4. §. 3. 2. *feud.* 81. dicuntur, & pro vice dominicaria, vel villicaria, pro decania, & pro aliis quibuscunque angariis accipi. 2. *feud.* 81. 4 *Tit.* 11. *infr. eod.* 2. *feud.* 94. 5 Feudi vita perpetua eſt: niſi ſit feudum guardiæ, Gaſtaldiæ, & quod pro mercede datur. Hujuſmodi namque feudum eſt annale, niſi certum tempus ſit adjectum; neque pretium reſtituitur. 6 Imo non poteſt, cum ſit perpetuum feudum ſervitii, *c.* 1. *in fin. quæ cauſ. feudi amitt.* feudum principaliter conceſſum propter ſervitium, annuum eſt, ob gratiam principaliter conceſſam, adjuncto ei ſervitio, perpetuum.
7 Adde & aliam exceptionem ex 2. *feud.* 81. & 105. 8 Feudum guardiæ & guaſtaldiæ poteſt dari ad certum tempus, puta biennium, triennium, eo caſu, ante tempus auferri non poteſt. 9 Feudum quod guaſtaldus poſſidet, præſumitur poſſideri nomine guaſtaldiæ; non jure proprii feudi. Ita ex ratione qualitatis officii præſumitur qualitas feudi. Privilegium & beneficium interpretamur ex qualitate perſonæ. *arg. l. ex militari.* 11. *ff. de mil. teſt. l. in delictis.* 4. §. *ſi extraneus.* 1. *ff. de noxal. act. l. ſi quis filio.* 6. §. *irritum.* 5. *ff. de injuſto.* Quid ſi feudum guardiæ datum eſſe nobiliori dicatur, quam ipſe ſit dominus, qui id dederit? Baldus putat feudum præſumi perpetuum & proprium, niſi forte qualitas officii accipientis nobilitati præponderet. Quid ſi feudum guardiæ datum ſit ad concedentis arbitrium? Baldus notat feudum eſſe perpetuum, *arg. l. Juriſperitos.* 30. *ff. de excuſat. tutorum.* 10 Feudorum aliud proprium, aliud improprium. *d. tit.* 81. Gaſtaldia improprium feudum.
11 Saltem duos. 12 Curtis, domus, palatium, prætorium, caſtrum.
13 Id eſt inſtrumentum publicum. *tit.* 3. *infr. eod.*
14 Id eſt an etiam ſucceſſores perſonæ eccleſiaſticæ. 15 Cujus inveſtitura facta eſt ab autore ſucceſſoris. 16 Id eſt tradere. 17 Hi ſolent res eccleſiaſticas in feudum dare. *tit.* 1. 18 Adde *tit.* 9. 25. 27. *infr. eod.* 19 Feudum prælatus non poteſt conferre in fraudem ſucceſſoris ſui. Adde *c. ult. ne prælati vices ſuas cap.* 1. *de ſolut.* verbi gratia: Archiepiſcopus inveſtivit Titium de feudo Gaji ſuperſtitis, ea lege, ut feudum haberet Gajo mortuo: Archiepiſcopus mortuus eſt ante Gajum: Archiepiſcopi ſucceſſor non cogitur ratam habere inveſtituram factam ab anteceſſore Archiepiſcopo, *ut hic.* Quid ita? prælatus prælato non eſt heres. Anteceſſor & ſucceſſor in hujuſmodi dignitatibus, non cenſetur una & eadem perſona.
20 Idque ex regula juris antiqui. *l. dudum. C. Th. de reſcript.* qua a ſucceſſoribus obligationes non incipiebant, volentes tamen poſſunt. Ita prælati ſucceſſor etſi non cogatur inveſtituram ab anteceſſore factam ratam habere, ratam tamen habere poteſt. Hac ratione colligunt, imperatoris ſucceſſorem non cogi inveſtituram ab anteceſſore factam, ad modum, qui hoc paragrapho præſcribitur, confirmare: quod electione, non ſucceſſione fiat Imperator, *c. venerabilem de elect.* alias cogi pure factam ab anteceſſore comprobare. *c.* 1. *infr. de natura feudi.* 21 Imo coguntur. 2. *feud.* 35. *dicam infr. tit.* 25. *in fin.* 22 *Titul.* 2. 23 Vivente vaſallo, & eo ratum habente, poteſt dominus ejus feudum alteri conferre in diem, vel ſub conditione, ut ipſo vaſallo mortuo inveſtitus feudum habeat. Ita inveſtitura de feudo vaſalli ſuperſtitis alicui facta, poteſt ipſius vaſalli ratihabitione confirmari. 24 An hoc in feudo hereditario quod ad heredes tranſit, verum? negat Laudenſis, & ita potiores eſſe heredes vaſalli ipſo inveſtito. *c.* 1. §. 2. *cum vero Conradus. ſupr. de his qui feudum.* 25 Expreſſe: nam tacitus conſenſus non ſufficeret, cum hic de tertii, hoc eſt, ſucceſſoris inveſtientis præjudicio tractetur. 26 Quid ſi continuis & importunis interpellationibus potentioris, quaſi coactus, prælatus eum de feudo viventis inveſtivit? mortuo ipſo vaſallo, atque ita feudo aperto, poſſe prælatum pœnitere notat Ravennas: alias cogitur inveſtire, nec enim liberabitur id ſolvendo quod inveſtiti intererit. *c.* 1. *in fin. infr. ſi de feud. fuerit controverſia.* Faciunt *notata in l.* 1. *ff. de action. empt.* Quid ſi importunæ hujuſmodi flagitationes probabuntur? poterit inveſtitor ipſe revocare inveſtituras ita factas. *l.* 1. *Cod. de petition. bon. ſublatis*, quod & Innocentium mortuo Friderico imperatore feciſſe notat, poſt Andream, Laudenſis: idque ex cauſa permiſſum eſſe, *arg. Nov.* 18. & *c. quamvis. de reſcriptis in ſexto. l. Lucius.* 11. *ff. de evict. l. item ſi.* 15. *ff. de rei vind.* 27 Et ita in Laicorum ſucceſſoribus regula Juris novi a Juſtiniano prodita. 4. *Cod.* 11. ſervatur, ut a ſucceſſoribus obligationes incipiant. In ſucceſſoribus eccleſiaſticorum, favore Eccleſiæ, non incipiunt: quod hi juris tantum eccleſiaſtici, non defuncti anteceſſoris ſucceſſores ſint. 28 Inveſtituram factam ab anteceſſore laici heres ratam habere cogitur. 29 Lego, claruerit, eo ſenſu, ſi prædictis rationibus probata fuerit inveſtitura. *tit.* 4. §. 1. prædictis, id eſt, per pares Curtis, vel per breve teſtatum. *hic & d.* §. 1. Juſtæ rationes dicuntur. *tit.* 4. §. 2. *infr. eod.*
30 Controverſia quid, notatur *in l. cauſas vel lites.* 16. *C. de tranſact. l. Lucius.* 78. §. 3. *D. ad SC. Trebellianum. l. non ſolum.* 39. *D. de procuratoribus.* 31 Probatur inveſtitura per pares, aut per breve teſtatum: per pares ſi quos tamen habeat ipſe dominus, alias etiam per extraneos, ſi nullos pares habeat. 32 Inveſtitum in poſſeſſionem mittere cogitur inveſtitor, neque præſtatione ejus quod intereſt liberatur: niſi forte facultatem tradendi non habeat. Porro hæc miſſio in poſſeſſionem non eſt verbalis, aut abuſiva, ſeu impropria, hæc enim poſſeſſionem vaſallo non tribuit, licet ipſi vaſallo feudum ita ſit quæſitum. 2. *feud.* 7. *in fin.* 33 Controverſiam movente domino adverſus vaſallum, vaſallus ſi in poſſeſſione fuerit, obtinebit, ſi modo ipſe vaſallus juret, ſe, vel anteceſſorem ſuum fuiſſe inveſtitum. *ut c. ult.* ȷ. *de inveſtit.* Quid ſi vaſallus neque ſit in poſſeſſione feudi, neque prædicta probaverit? jusjurandum Domino defertur. *verſ. cum autem. infr. eodem.* Quid ſi neuter poſſideat? jusjurandum erit arbitrarium: h. e. jusjurandum deferet vaſallo, vel domino, judex cauſa cognita. *c.* 1. §. *ſacramentum. de conſuet. rect. feud.* Quid ſi vaſallus non poſſideat, & aliud indubitatum feudum habeat a domino præter controverſum feudum? jurare non cogitur Dominus, *ut hic.* In hac enim ſpecie vaſallus adverſus indubitatum dominum aget, cum aliud feudum indubitatum ab eodem domino habere hic proponatur. Priore ſpecie, non agit adverſus manifeſtum & indubitatum dominum, quippe qui habeat in feudo ita controverſo negantem dominum. Ideoque in hac quam nunc tractamus ſpecie, remittitur recte juramentum: quia mitius agendum eſt adverſus eum qui manifeſto dominus eſt, quam qui non manifeſtus eſt. 34 Id eſt, jusjurandum. §. 2. *infr. eod.* 35 Quam minimum annalem, & bona fide, his enim duobus modis hunc locum coërcent interpretes. 36 Id eſt, jusjurandum defertur domino, licet ejus adverſarius vaſallus nihil probet: quod contra jus civile eſt. *l. ult. C. de rei vind. l. qui accuſare.* 4. *C. de edendo, cap. ut. de jurejurando.*
37 Id eſt, per pares curtis, vel inſtrumentum publicum. *in princip. ſupr. eod. tit.* 3. *in fin. ſupr. eod.* 38 2. *feudorum* 58. §. 3. id eſt, mero jure. Nam ordo hic opponitur æquitati. 39 *tit.* 12. *in fin. infr. eod.* 40 Ut §. reſponſo dictum eſt. 41 Partis feudi poſſeſſorem ſe eſſe, qui plene probavit, idem & alterius partis in dubio præſumitur poſſeſſor, dum tamen id juret: quod ſi ſemiplene tantum ſe partis poſſeſſorem probaverit, jurare cum duodecim ſacramentalibus cogetur partem illam controverſam feudi, ſuam eſſe. Porro, quod ratione partis vaſallus totum obtineat. Baldus id fieri putat, quod juramentum ſit individuum: Ita majori ex parte bonorum feudali, reliquæ partes feudales eſſe præſumuntur.
42 *tit.* 22. §. 1. Cambium habere, *ut hic*, vel facere *d.* §. 1. eſt permutare.
43 Id eſt, fecerit, *d.* §. 1. 44 Verbi gratia, per pares curtis, vel breve teſtatum. *tit.* 3. *in fin.* §. *eod.* 45 Id eſt, purgatio, quæ fit dato jurejurando: ea defertur reo & poſſeſſori. §. 3. §. 5. *in fin. infr. eod. tit.* 10. *infr. eod.* 46 Vide *tit.* 10. & 28. *infr. eod.* 47 Permutationis titulo a ſuo vaſallo volente, dominus accipere poteſt ejus utile dominium, vel ejus partem, & ejus loco ipſi vaſallo quiddam aliud proprietatis & pleni ac directi dominii dare. Itaque talem permutationem probare debebit vaſallus per pares curiæ, vel breve teſtatum, nam id exemplo novæ inveſtituræ ita probandum eſt. 48 Aliud igitur feudum, aliud guardia.
49 De guardia dixi *tit.* 2. *ſupr. eod.* 50 Teſtimoniis cognitis, teſtes ad alios articulos probandos admitti hinc colligit Ravennas *contra auth. qui ſemel. C. de probat.* Nam poſt probationes domini probantis feudum (de quo agitur) Guardiæ feudum eſſe, auditur vaſallus probare volens, rectum feudum ſibi ab eo tempore conceſſum fuiſſe: unde colligunt, Negantem ſe occidiſſe, convictum poſt, probare poſſe, ſe ad defenſionem ſui occidiſſe; ut qui neget ſe occidiſſe, intelligatur ſemper id negare ad eum modum qui proponitur: ſcilicet ut puniatur, atque ita ſibi contrarium non videri.
51 Pares curtis & breve teſtatum juſtæ rationes probandæ inveſtituræ. §. 26. *eod.*
52 *tit.* 10. *infr. eod.* 53 Feudum guardiæ, ut ex pacto in rectum feudum mutari poteſt. §. 3. *ſupr. eod.* ita pignus in feudum converti poteſt, *ut hic*, utroque caſu probatio eſt vaſalli. 54 Aliud feudum, aliud pignus. 55 Manſus hic eſt fundus & hereditas; unde quis ſe & familiam tueri ſatis commode poteſt. Ac præterea vectigal ſive cenſum domino referre. dicitur autem a manendo. Alii manſum interpretantur prædium ubi maneant agricolæ: Alii, quod jugo boum arari poſſit. Manſus vel Maſſa terræ, Gallice *meſtairie.* 56 Etiam alluvionis. 57 Probare ſe inveſtitum de incremento quoque feudi vaſallus cogitur, quoties conſtat dominum aliquid excepiſſe in curte vaſalli. Tunc enim juramentum eſt domini: quoties autem nihil ſibi excepit, ipſum juramentum eſt vaſalli. 58 Puta, membrum, hortum, viridarium. 59 Eſt enim curtis, pars manſi, *ut hic*, ſicut villa fundi. *l.* 8. *ff. quib. modis uſusfructus.* 60 Juriſconſulti in uſufructu ſic diſtinguerent: Latenti incremento augeri uſumfructum, non evidenti. *l.* 9. §. 4. *ff. de uſufructu.*

Si

Si ſecundus vaſallus accipiat inveſtituram de feudo a primo vaſallo cum ejus incremento, & aliquid huic accedat feudo, vivente primo vaſallo: totum incrementum eſt ipſius vaſalli ſecundi. Bart.

§. 6. Rurſus ſi aliquis [1] acceperit inveſtituram feudi *cum omni incremento, quod ei obvenerit* [2], & aliquid accreverit vivente [3] eo, [4] a quo acceperit, ipſius erit, & ſi ille, qui inveſtituram fecit, ſine herede deceſſerit, & feudum reverſum fuerit ad eum [5], a quo ipſe tenuerit, vel ad alium: quidquid poſt mortem ejus, qui dedit, accreverit, ad eum [6] pertinebit, ad quem regreſſum fuerit.

TIT. V. [7]

QUIBUS MODIS FEUDUM AMITTATUR [8].

Caſus primus feudi amittendi.

QUia ſupra dictum eſt, quibus modis feudum acquiritur, & retinetur: nunc videamus, qualiter amittatur. Si enim dominus prælium campeſtre [9] habuerit & vaſallus eum morantem in ipſo prælio dimiſerit [10] non mortuum, nec ad mortem vulneratum: feudum amittere debet [11]. † Item ſi fidelis cucurbitaverit [12] dominum, id eſt cum uxore [13] ejus concubuerit, vel concumbere ſe [14] exercuerit, aut cum ea turpiter luſerit [15], vel ſi cum filia, aut [16] [cum nepte ex filio, aut cum nupta filio] aut cum ſorore domini concubuerit, (hæc ita obtinent, ſi in domo domini maneat [17]) jure feudum amittere cenſetur. † Similiter ſi dominum aſſalierit [18], vel caſtrum domini, ſciens [19] dominum, vel dominam ibi eſſe. † Item ſi fratrem ſuum [20] occiderit, vel nepotem [21], id eſt filium [22] fratris. † Aut ſi libellario nomine amplius [23] medietate [24] in feudum [25] dederit, aut pro pignore [26] plus medietate obligaverit, ita ut [27] transactum permittat: vel dolo hoc egerit, amiſſione feudi multabitur. † His omnibus caſibus feudum ad [28] dominum revertitur. † Rurſus ſi fidelis minus medietate libellario nomine [feudum] dederit, & ſine herede [29] deceſſerit, & feudum ad dominum redierit, vel poſtquam ad libellum dederit, vel pignori obligaverit, & domino [30] refutaverit [31]: tunc ille, qui ab eo acceperit, nullo jure adverſus dominum ſe tueri poterit.

Qui conſentit, jura ſua perdit, & aliena fortificat. Bald.

§. 1. Præterea ſi ille, ad quem feudum per ſucceſſionem jure obvenire debet, conſenſerit [32] eos inveſtire, ad quos ſecundum rectum morem non pertinet: nullo modo ad eum repetendum regreſſum habet. † Item ſi fuerint duo fratres & unus inveſtituram feudi acceperit: ſi poſtea feudum cum fratre diviſerit [33], & [34] ille, qui feudi partem accepit, poſtea plus medietate vendiderit [35], & ſine [36] herede legitimo deceſſerit, feudum ad dominum revertitur. † Item ſi quis feudum habuerit in [37] curte [38] domini ſui: non poterit ipſum feudum in aliqua parte libellario nomine alicui ſine conſenſu domini ſui dare, vel pignori obligare. Similiter ſi extra curtem detinuerit, & [39] dominus diſtrictum [40] habuerit, vel [41] alium honorem: ſi [42] alienaverit ſine voluntate [43], jure ad dominum revertitur.

TIT. VI.

[EPISCOPUM, VEL ABBATEM, VEL ABBATISSAM, VEL DOMINUM [44] PLEBIS FEUDUM DARE NON POSSE.]

Epiſcopus, Abbas vel Abbatiſſa, vel dominus plebis non poſſunt de cætero infeudare res eccleſiarum ſibi ſubjectarum, quæ vocantur tituli. Bald.

ITem ſi Epiſcopus vel Abbas, vel Abbatiſſa, vel dominus [45] plebis, feudum dederit de rebus eccleſiarum, quæ eis ſubjectæ ſunt, & tituli [46] vocantur: nullum habet vigorem, ſecundum hoc quod conſtitutum eſt a Papa Urbano in ſancta ſynodo, hoc eſt illud, quod [47] poſt ejus decretum fuerit datum: quod autem ante datum fuerit, firmiter permanere debet. Idem juris eſt, ſi ſit præpoſitus (vel Abbatiſſa,) vel alia eccleſiaſtica perſona, quæ antiquitus [48] non ſit ſolita in feudum dare: ſcilicet ut quod dederit, de jure non valeat.

Fœmina poſita in copula cum maſculo, non ſuccedit ſimul cum eo, ſed ita demum, ſi maſculus non eſt. Bald.

§. 1. Quinetiam ſi quis eo tenore feudum acceperit: *ut ejus deſcendentes maſculi &* [49] *fœminæ illud habere poſſint:* relicto maſculo, ulterius [50] fœminæ non admittuntur. §. 2. Mutus [51] feudum retinere non [52] poteſt [53], ſcil. qui [54] nullo [55] modo loquitur [56]: ſed ſi feudum fuerit magnum, quo ei ablato ſe exhibere [57] non valeat: tantum ei relinqui debet unde ſe ſuſtinere poſſit. † Et his omnibus caſibus feudum amittitur, & ad dominum revertitur.

TIT. VII.

[58] DE NATURA FEUDI.

Non poteſt de Comitatu, Marchia, vel Baronia inveſtitus per principem, de his pro libito deveſtiri. Bald.

NAtura feudi hæc eſt, ut ſi [59] princeps inveſtierit capitaneos ſuos de aliquo feudo, non poteſt eos deveſtire ſine [60] culpa, id eſt Marchiones, & Comites, & ipſos, qui proprie hodie appellantur capitanei.

1 Puta Titius. 2 An hoc innuitur? Omne feudi incrementum, vaſalli de feudo inveſtiti cum omni incremento eſſe, ſive vivente inveſtitore fiat, ſive eo mortuo: & ad inveſtitorem reverti mortuo vaſallo? An & id quoque amplius vaſallo ſubfeudante, ſeu alii feudum dante ſub eadem conditione totius incrementi, omne incrementum feudi quod poſt mortem primi vaſalli mortui ſine heredibus evenerit, reverti ad primum dominum inveſtitorem, vel ad eos ad quos feudum reverſurum eſt: ut ea ratione primi vaſalli jure ſublato, ſublatum quoque jus intelligatur ejus, qui ab eo feudum eadem conditione accepit? quod & verius eſt.
3 Imo etiam & mortuo inveſtitore, Bellovиſanus, *Laudenſis.* 4 Puta Sempronio. 5 Subfeudare vaſallus poteſt: hoc eſt alteri feudum ſuum dare, etiam impermiſſu domini; dum id faciat vaſallus bona fide, & æquali & iisdem cautionibus: qua in ſpecie, dominus in ſubvaſallum experiri in ſubſidium poteſt ſervitiorum nomine. Subfeudum Gallis dicitur, *Arriereſief.* 6 Puta Cajum.
7 *tit.* 17. *infr. eod.* & 2. *Feud.* 24. 8 *tit.* 2. Cujac. 9 Adde *tit.* 17. 21. & 2. *feud.* 24. §. 2. *tit.* 28. 57. 107. 10 Dominus, ſi juſtam pugnæ cauſam habuerit, vel incertum id fuerit, a vaſallo defendendus eſt: de domino illis caſibus defendendo & adverſario ejus offendendo, jurare vaſallus cogitur: ſin vero injuſtam pugnæ cauſam dominus habuerit, de eo defendendo jurare non debebit. *c.* 1. *infr. hic finitur lex.* Quid ſi in injuſta cauſa, dominum juvare cœpit vaſallus, & dominum poſtea reliquit? feudo privandum eſſe negant doctores: niſi forte per ſpeciem juvandi id effecit, ne juvaret alius. Quid ſi ea membrorum habitudine eſt, ut juvare dominum non poſſit? clamore ſaltem ciere ſeu advocare auxiliaturos cogitur, *argumento l. domino.* 16. *ff. ad SC. Silanian.* Quid ſi dominum adjuturus certo præviderit ſe quoque interfectum iri? Propriam vitæ domini poteſt anteponere vaſallus: & ita fuga ſalutem ſibi quærere; nec ea cauſa feudum amittit, aliud tamen eſt in ſervo. *l.* 1. *ff. ad SC. Silanianum.* Quid ſi commune feudum duo fratres habeant; unus dominum defenderit? alter non defenderit? qui non defendit, excuſabitur alterius intuitu; idque propter perſonarum & feudi conjunctionem. *Bald.* 11 *Sub.* per ſententiam non ipſo jure, *Iſernias, Alvarot. Ravennas.* 12 *tit.* 17. 2. *feud.* 57. 13 Etiam volente, non tantum invita. Quid ſi cum uxore domini ignorans adulterium commiſit? feudum non amittit. Quid ſi cum concubina vel ſponſa de præſenti? Idem quod in vera uxore conſtituunt interpretes: Aliud ſi cum pediſſequa. 14 Quid ſi alii opem tulit? idem. 15 Vaſallus feudo privatur turpiter ludens cum uxore domini, unde notant ex turpi etiam colloquio cum uxore domini vaſallum feudo privari, licet alias colloqui levius ſit quiddam, quam attingere: & in pœnis mitiores eſſe debeamus. *Goth.* Turpiter luſerit, id eſt oſculatus fuerit. Menoch. *lib.* 2. *caſ.* 287. adde *l.* 1. *ff. de extraord. criminibus.* & Gothofr. *in not. ad l.* 16. *Cod. de donat. ante nupt.* Quod ſi vero ſtupraverit concubinam vel pediſſequam domini, non amittit feudum. Vult. *de feud. cap.* 11. *num.* 38. Molin. *ad conſuetud. Pariſ. tit.* 1. §. 30. *quæſt.* 38. *n.* 140. a quibus diſt. Zaſ. *in Epit. feudor. p.* 14. *concl.* 5. Anſ.
16 Aut nuru, id eſt cum nupta filio. *Cujac.* 17 Et in capillo fuerit. 2. *feud.* 24. §. 2. *verſ. rurſus.* 18 *d.* §. 2. *verſ. porro ſi dominum.* 19 Imo idem & ſi neſciens, aut ignoravit dominum ibi eſſe, quemadmodum nihil intereſt dominus in caſtro fuerit, vel non fuerit: cum vaſallum oppugnaſſe caſtrum domini ſufficiat. *Ravennas.* 20 2. *feud.* 24. §. 3. Quid ſi fratrem domini? feudum non amittit. 2. *feud.* 37. 21 Nepos pro filio fratris hic ſumitur.
22 Quid his caſibus, quibus nimirum vel fratrem, vel filium fratris interfecit: cui feudum committitur? non domino, ſed agnatis interficientis, cum id delicti genus in perſonam domini admiſſum non fuerit. Sed de feudi committendi legibus pauca hæc notemus. Ex delicto in perſonam domini admiſſo, feudum ſive antiquum, ſive novum domino committi, excluſis agnatis vaſalli, & deſcendentibus. Ex delicto in alium admiſſo, novum domino, antiquum agnatis committi: ex non delicto, ſed quod in legem contractus feudi admiſit vaſallus (pone vaſallum ſine domini voluntate feudum vendidiſſe) novum domino, antiquum adgnatis committi, ſi qui ſint: ſi nulli, ad dominum, non filios vaſalli, ſi quid hereditarium patris habeant. *Ravenn.* 23 *tit.* 13. *infr. eod.* 24 Medietate feudi dederit. *Cujac.* hodie etiam partis alienatio prohibita. 2. *feud.* 9. 52. 55. 25 Invito domino.
26 Pignorare feudum, ſic ut realem poſſeſſionem in alium transferat, vaſallus non poteſt: alias feudo privatur. Verbaliter, id eſt, verbotenus tamen pignorare poteſt, nec ea re feudum amittet. 27 Ut transacto anno, *Hotom.* ut diſtractionem permittat, *Cujac.* id genus pignoris conſultum dicitur, 2. *feud.* 8. *in fin.*
28 2. *feud.* 37. 29 A maſculo ſcil. ſi vaſallus ſine herede maſculo decedat.
30 Feudum refutare domino vaſallus poteſt, vel id quoque quod ipſe in alium contulerit, etiam ipſo accipiente invito. Quid ita? imputet ſibi, qui accepit, quod non rite acceperit. *arg. l. qui cum alio.* 19. *ff. de reg. juris.* Quid ſi quis accepit ignorans? Baldus putat retinere feudum poſſe, *c.* 1. §. *ſi vero. infr. qualit. olim poter. feuda.* quo loco tamen agitur de infeudatione jure permiſſa, hic autem de alienatione non permiſſa. 31 2. *feudorum* 9. ſi feudum refutaverit in manus domini. 32 Si proximior adgnatus ſucceſſurus conſentiat, ut remotior, vel, ut extraneus de feudo inveſtiatur. 2. *feudorum* 26. §. 5. *verſ. Titius.* præjudicat ſibi. Conſenſiſſe autem hic intelligitur, qui vel tacite conſenſit: ſic tamen ut ille conſenſus actu aliquo probetur, puta ſigillo adpoſito, vel ſubſcriptione aliqua ſpeciali, alia tamen quam teſtimonii perferendi cauſa facta, *l. Gajus.* 39. *ff. de pignoratitia actione.* 33 Feuda dividi regulariter poſſunt, *ut hic:* quod in feudis dignitatum non obtinet. *c.* 1. §. *præterea. de publica alien. feudi per Feder.* & ubi alia conſuetudo eſt. 34 Frater fratri in feudo ſimul adquiſito non ſuccedit, niſi mortuo ſine liberis: at non ei ſuccedit delicto feudi partem ſuam amittenti.
35 Si vaſallus plus medietate feudi vendiderit. 36 Et ſi. *Hot.* 37 Si minima pars feudi, quod in curte eſt, alienata. 38 Vide 2. *feud.* 5. quod vulgo de camera, vel de cavena dicitur. *Contius:* feudum in curte domini habere intelligitur, qui annuum reditum, vel certam penſionem, & ut Ravennati placet, qui certam partem territorii, vel villæ a domino accepit. Extra curtem vero domini feudum habet, qui poſſeſſionem eam a domino in feudum accepit, in quam ipſe dominus juriſdictionem habeat. Cæterum non in curte, ſed extra curtem & juriſdictionem feudum habet, qui in ea villa feudum habet, in qua dominus nullam habet juriſdictionem, vel nullum diſtrictum. 39 Infeudans rem ſingularem, non cenſetur juriſdictionem infeudare: ſecus ſi univerſitatem caſtri, vel villæ quis infeudet. Juriſdictionem ac diſtrictum alicubi habere & in eodem loco dominium habere, differre ex hoc loco colligi etiam poteſt, §. *ad hæc. infr. de pace juram. firm.* 40 i. e. Juriſdictionem. 41 Si feudum in quo dominus diſtrictum, vel alium honorem habet, vaſallus vendiderit. 42 Feudum habens in curte domini, feudum ſuum alteri infeudare non poteſt. 43 Domini ſcil.

44 De quo vide *infr. eod.* 45 Dominus plebis: adde *inſcriptionem tituli*, qui & vice dominus. *c. volumus. c. Dominum.* 89. *diſtinct.* Sigebertum *in Chronico*, Car. 4. *de rever. eccl. deb.* œconomos, Caſſiodorus 5. *variarum epiſt.* præpoſitus reditibus colligendis a plebeis ſeu ruſticis, dixi ad *l.* 33. §. 4. *C. de epiſcopis.*
46 Tituli prædia clericis eccleſiæ ad alimenta deſtinata. 47 Infeudationes eccleſiaſticarum rerum factæ ante Papam Urbanum ratæ habentur. 48 *tit.* 15. *eod.* 2. *feud.* 91. 49 Ratio dubitandi in hac voce conſiſtit, quod maſculus, & fœmina re & verbis hic ſint conjuncti, & tamen fœmina ſimul cum maſculo non admittitur, etiam ſi dictum ſit, ut maſculi & fœminæ feudum illud habere poſſint. Quid igitur? ſi nunquam extiterit maſculus, fœmina admittetur: ſin ſemel extiterit, poſtea non admittetur, fœmina ſemel a maſculo excluſa, in perpetuum eſt excluſa, ut ne mortuo quidem maſculo fœmina admittatur: niſi forte qui extitit maſculus, ſubito mortuus ſit, quia qui extitit & ſubito mortuus eſt, extitiſſe vix videtur: quo loco notant, ſubito eum deceſſiſſe videri, qui antequam tingeretur ſacro baptiſmate & nomen ei impoſitum eſſet, mortuus ſit. Hoc eſt ante octavum diem. Innoc. *in cap. nam & ego. de verb. ſignificat.* Quid ſi non rectum feudum ſit, ſed conditionatum, ut ita appellant, cujus ſervitium ipſa mulier æque præſtare poſſit ac maſculus? fœmina ſimul cum maſculo admittitur, ut interim notetur, particulam, &, hic poſitam, ſenſum conjungere, non verba. Tres alios intellectus ad hunc locum vide apud Laudenſem. *Goth.* Nota, quod particula, &, hic non copulet æqualiter, ſed denotet ordinem ſucceſſivum. *Anſ.*
50 Id eſt, extantibus maſculis. *tit.* 8. §. 2. 51 2. *feud.* 36. 52 Imo poteſt. 2. *feud.* 36. 53 Mutus etiam ex morbo ſine culpa ſua adſcito, cur feudum retinere non poteſt? An quia pars ſervitii eſt aliqua in ſermone? *ut tit. de forma fidelitatis.* Eadem ex cauſa primogenitum regis, quod mutus ſit, in regno non ſuccedere notant: & conſequenter ei ſecundo genitum præferri.
54 Mutus dicitur qui nullo modo loquitur. 55 Mutus feudum retinere non poteſt, niſi pauper ſit, & feudum ipſum magnum. Tunc enim eatenus ſibi ex feudo ſervare poteſt, quatenus ad alimenta ſufficiat. Quid ſi feudum novum ad certum aliquod ſervitium datum eſt, ut ne ei muto eſſe noceat? Ita mutus feudum retinebit. Quid ſi qui mutus eſt, vaſallus ea ſit conditione, ut neque ob ingratitudinem feudum poſſit ei avocari: puta quod dominum mortis periculo eripuerit? feudum ei ſervari notat Ravennas. Quid ſi ſciens prudens mutum inveſtierit dominus? gratiam ei beneficii ſeu feudi feciſſe intelligitur. 56 Balbutientem feudum ſibi retinere poſſe hinc recte colligas: cum balbutiens quodammodo loquatur. 57 Id eſt, alere.

58 *tit.* 3. Cuj. 59 Deveſtire vaſallum, hoc eſt feudum vaſallo auferre dominus non poteſt, etiamſi ſit Imperator, vel ejus ſucceſſor, ubi eum ſemel inveſtivit, niſi convictum & per ſententiam, *ut hic.* 60 *tit.* 21. *tit.* 22. *in fin.*

capitanei.

capitanei. Idem eſt, ſi inveſtitura ſit facta a capitaneis, & majoribus valvaſoribus qui proprie [1] hodie capitanei appellantur. Si vero facta fuerit a minoribus, [2] vel minimis valvaſoribus, aliud eſt. Tunc enim poſſunt deveſtiri non habita ratione culpæ: niſi [3] fecerint [4] hoſtem Romæ, tunc enim idem eſt in minimis, quod in majoribus valvaſoribus: vel niſi [5] emerint feudum: tunc enim pretium reſtituendum eſt ſecundum antiquum & rationabilem uſum. Moderni [6] autem non ita ſubtiliter cernentes, dicunt idem obſervandum in minimis, quod diximus in majoribus valvaſoribus.

TIT. VIII. [7].
DE SUCCESSIONE FEUDI.

Si habens feudum decedat maſculis & filiabus relictis: ſoli maſculi ſuccedunt in feudum, non filiæ ſeu fœminæ. Baldus.

SEquitur de ſucceſſione feudi videre. † Si quis igitur deceſſerit filiis & filiabus ſuperſtitibus: ſuccedunt tantum [8] filii æqualiter [9], vel nepotes [10] ex filio [11], loco [12] ſui patris: nulla [13] ordinatione [14] defuncti in feudo manente, vel valente.

Feudo paterno alienato, vel de quo eſt filia inveſtita, ſuccedit maſculus ſuperſtes. Baldus.

§. 1. Hoc quoque obſervatur, ut ſi frater meus alienaverit [15] partem ſui feudi [16], vel fecerit [17] inveſtiri filiam [18] ſuam, ſi moriatur ſine herede maſculo, nihilominus revertitur ad me [19]: & olim obſervabatur uſque ad quartum gradum tantum ſecundum quoſdam: hoc ideo, quia poſtea non [20] vocatur feudum paternum. Alii autem dicunt uſque ad ſeptimum [21] gradum.

Filia non ſuccedit in feudo, licet vaſallus deceſſerit ſine herede maſculo, niſi inveſtitura facta fuerit in patre, ut filii, & filiæ ſuccedant in feudum. Bald.

† Filia [22] vero non [23] ſuccedit in feudo, niſi [24] inveſtitura facta fuerit in patre, ut filii, & filiæ ſuccedant in feudum, (tunc enim ſuccedit filia filiis non [25] extantibus) vel niſi [26] inveſtita fuerit [27]. Hæc de hoc feudo paterno. † In alio vero feudo, quod habuit initium tantum a fratribus [28], non [29] ſuccedit unus alteri, ſive una inveſtitura, ſive duabus: niſi [30] hoc fuerit dictum expreſſim, ut alter alteri ſuccedat.

TIT. IX. [31].
QUI [32] SUCCESSORES TENEANTUR.

SI quis inveſtitus fuerit de alieno [33] feudo *poſt* [34] *mortem ejus* [35], vel ſi quis fuerit inveſtitus *ſub* [36] *conditione aliqua, vel tempore* [37], *quo nullus erat* [38] *inveſtitus*: ſive præmoriatur tenens feudum, ſive inveſtitor, ſive inveſtitus, & [39] inveſtitoris heredes tenentur inveſtito, vel heredi ejus veniente tempore vel conditione: licet alii dicant [40], ſi moriatur inveſtitus antequam tenens feudum, vel ante conditionem exiſtentem, vel ante tempus, quod heredes ejus non debeant inveſtiri: nam ſi quis fuerit inveſtitus pure [41] de alieno feudo, non valet habita inveſtitura. Hoc [42] ita eſt, niſi fuerit facta ab aliqua eccleſiaſtica perſona: tunc enim ſi præmoriatur inveſtitor, antequam feudum tenens vel conditio, vel tempus exiſtat: non obligatur ſucceſſor illius: hoc probatur per Legem Lotharii de precariis [43], & hoc [44] intelligendum eſt in vaſallis, qui feudi ſucceſſionem [45] non habent.

TIT. X. [46].
DE CONTENTIONE INTER DOMINUM ET FIDELEM DE [47] INVESTITURA FEUDI.

Orta contentio inter dominum & fidelem de inveſtitura, decidi debet, vel per pares curiæ, vel per juramentum poſſeſſoris. Bald.

SI contentio fuerit inter dominum & fidelem de inveſtitura feudi, per [48] pares curiæ [49] dirimatur: Alii [50] enim teſtes, etſi idonei ſint, admittendi non ſunt, inopia [51] tamen probationum dirimatur per religionem [52] clientuli [53] poſſeſſoris [54] feudi, vel cum [55] duodecim ſacramentalibus [56], ſecundum quoſdam. Cæterum ſi dominus poſſideat, etiam per ſuum jusjurandum cum duodecim ſacramentalibus dirimatur: hoc ita, niſi clientulus ſit gaſtaldus [57], vel actor domini, tunc enim tantum [58] ſuæ, id eſt, domini religioni ſtatur: niſi [59] habeat teſtes pares idoneos [60], nam [61] aliquando malignando multa bona auferuntur [62] domino, hoc modo, & hoc colligitur per legem, quæ eſt in titulo de acquiſitione actorum regis in Lombardia [63]. Idem dicendum eſt de guardia.

TIT. XI.
[DE PIGNORI DATO FEUDO QUID JURIS SIT.]

SImiliter ſi [64] quis voluerit dicere *de pignore ſibi dato ſe inveſtitum eſſe*, non [65] credatur ſuo juramento, ſed teſtibus idoneis [66] paribus domus, vel curiæ. † Inſuper ſciendum eſt feudum guardiæ, & gaſtaldiæ quacunque [67] hora vult auferri [68] poſſe a domino, ſcil. poſt [69] annum.

TIT. XII. [70].
DE CONTENTIONE [INTER ME ET DOMINUM DE PORTIONE] FEUDI FRATRIS [MEI] DEFUNCTI.

Fratri ſuperſtiti defertur jusjurandum, ſi partem habet in feudo, de quo eſt contentio inter eum, & dominum. Bald.

SI contentio fuerit inter me, & dominum *de portione feudi fratris mei defuncti*, dicendo [71] *paternum eſſe, & ſic* [72] *me debere ſuccedere*, ille vero minime, tanquam habuerim partem [73] meam: ſive poſſideo [74], ſive alienavi, debetur mihi jusjurandum, ſcil. paternum meum jure inveſtitum fuiſſe: licet non poſſideam portionem fratris mei. Si vero nullam partem habeo illius feudi, nec mihi nec domino dabitur jusjurandum, nil propter ſupradictam rationem domino, non, ut ego propter hoc aliud meum feudum amittam. Si tamen vaſallus poteſt probare paternum fuiſſe, ſive poſſideat, ſive [75] non, obtinebit: alioqui niſi [76] probet paternum fuiſſe, vel niſi poſſideat, dominus obtinebit.

TIT. XIII. [77].
DE ALIENATIONE FEUDI.

Vaſallus hoc jure poteſt etiam ſine voluntate domini feudum alienare ad libellum, uſque ad medietatem, & non in plus: & non per alium contractum. Bald.

SI clientulus [78] voluerit partem ſuam feudi alienare, id eſt, medium [79], ſine domini voluntate poterit hoc facere: ulterius [80] progredi non [81] poteſt, ſecundum juſtum & verum uſum: alioquin,

1 *tit.* 1. *ſupr. eod.* improprie. *Cujacius.* 2 *tit.* 16. *ſupr. eod.* & *tit.* 1. §. 5. S̃. *eod.* 3 Prima exceptio. 4 Id eſt, niſi valvaſinus cum domino Romam (cum qua Longobardis res fuit ſemper) in expeditionem perrexerit. Adde *tit.* 20. J̃. *eod.* & 2. *feud.* 1. *tit.* 1. §. 5. S̃. *eod.* 5 Secunda exceptio. Adde *tit.* 16. J̃. *eod.* 6 Mediolani. Cujac. *arg. tit.* 1. §. 5. 2. *feud.* 10.
7 *tit.* 4. Cujac. Ad intellectum hujus *tit.* vid. Kinſchot. *reſp.* 2. *num.* 46. Anſ. 8 §. 2. J̃. *eod. tit.* 1. §. 3. S̃. *eod.* 9 *d. tit.* 1. §. 1. *in fin.* 10 *d. tit.* 1. §. 2. 11 Non ex filia. 12 *tit.* 14. §. 1. J̃. *eod.* jure etiam repræſentationis admiſſo. 13 Succedendi ordinem in feudis vaſallus mutare non poteſt: h. e., non poteſt beſſem uni, alteri trientem legare. Quid? poteſtne quis heredem damnare, ut ex feudo annuam vini vel frumenti modiationem aliquam det Titio? Baldus, Alvarotus, Ravennas ita putant, cum in hac ſpecie teſtetur defunctus de fructibus a feudo ſeparatis, qui proprii ſint heredis, non feudi. 14 Id eſt, teſtamento vel prælegato. 15 In filiam. 16 Feudum antiquum a vaſallo alienatum ſine conſenſu domini, primo filiis vaſalli, deinde agnatis ejus committitur, non ipſi domino. 17 2. *feud.* 39. 18 Filiam vaſalli de feudo novo inveſtire dominus poteſt etiam invitis vaſallis: cum id feudum ſit ad ipſum dominum recaſurum, qui inveſtivit & feudum contulit: de feudo paterno & antiquo, invitis agnatis non poteſt, niſi vivo ipſo vaſallo, id eſt, tantiſper dum vivit ipſe vaſallus pater filiæ ita inveſtitæ. 19 Si alienationi, aut inveſtituræ non conſenſero. *d. tit.* 39. alias non revertitur, *tit.* 24. *tit.* 5. §. 1. S̃. *eod.* 20 Hoc hodie immutatum. J̃. *eod.* 21 Hodie in infinitum. 2. *feud.* 50. v. Mynſinger. 3. *obſerv.* 95. 22 Fœminæ in feudis ſuccedunt vel ex pacto, vel ex gratia domini (feudo hoc poſtremo caſu libere ad ipſum dominum reverſo, ut hic) vel ſi feudum ſit maternum. Quid filius filiæ? ſuccedit, ſi pater inveſtitus fuerit pro ſe, filiis maſculis & fœminis ex ſuo corpore deſcendentibus. *l.* 1. *C. de condit. inſertis.* 23 *tit.* 1. §. 3. *ſupr. eod.* 24 Prima exceptio. *d.* §. 3. 25 Fuit hæc Gerardi ſententia *tit.* 6. §. 1. S̃. *eod.* 2. *feud. tit.* 17. *verſ. non enim. tit.* 50. *tit.* 51. §. 3. *tit.* 104. §. 1. 26 Secunda exceptio. 27 A domino. *tit.* 24. J̃. *eod.* 28 Id eſt, in feudo fraterno ac novo. 29 Vid. *tit.* 20. J̃. *eod.* 30 Exceptio *tit.* 14. J̃. *eod.* Frater fratri in feudo fraterno (quod initium accepit a fratre) non ſuccedit, niſi ex pacto: *ut hic*, aliud in emphyteuſi. *Ravennas.* Quin & in feudo fraterno ſuccedet frater, ſi feudum ita conceſſum fuerit, *duobus fratribus & ſingulis feudum & rectum & nobile concedimus*, ut eo caſu ſinguli ſolidum feudum accepiſſe videantur.
31 Qualiter heres inveſtitoris teneatur. *Cujac.* 32 *tit.* 5. Cujac. 33 *tit.* 3. S̃. *eod.* 34 In diem inveſtitura fieri poteſt, vel ita: inveſtitura diem & conditionem recipere poteſt. 35 Id eſt, poſſeſſoris. 36 Sub conditione & in diem quis inveſtiri poteſt. 37 Inveſtire vaſallum dominus ſub ea conditione poteſt: *cum aperietur feudum.* Hunc in modum, feudum nondum apertum conferri ſub conditione poteſt: pure non poteſt. 38 Lego, *erit.* 39 In feudis ſpes conditionalis inveſtituræ tranſit ad heredes active & paſſive. facit §. 4. *verſ. ex conditionali. Inſt. de verb. oblig.* Ita feudum comparatur magis contractui, quam ultimæ voluntati: quia ſpes conditionalis in ultima voluntate non tranſit ad heredes *l. ſi ex* 9. *ff. de ſuis.* 40 An bene, ut vult gloſſa? An male: ut communiter gloſſæ opinionem reprobant Belviſanus, Iſernias, Baldus, Laudenſis. 41 Pure de alieno feudo inveſtiri nemo poteſt. 42 Quæ ſuperius dicta ſunt de inveſtitura in diem vel ſub conditione facta, locum non habent in inveſtitura facta ab Eccleſiaſtica perſona. Quid ita? quia ſi ante diem vel eventum conditionis inveſtitor Eccleſiaſticus deceſſerit, ſucceſſor ejus ratam inveſtituram habere non cogitur, *ut hic.* In laico inveſtitore, heres inveſtitoris factam ita inveſtituram probare tenetur. 43 Precaria, eſt ceſſio uſusfructus rei immobilis, quæ fit clerico ad tempus, vel dum vixerit, ea lege, ut eccleſiæ miniſterium exhibeat. *Synodus Toletana: c.* 3. fiebat etiam ei, ejuſve liberis qui rem ſuam eccleſiæ donaſſet. adde *quæ de precaria dixi ad Nov.* 7. *c.* 4. *Novell.* 20. *c.* 1. *l.* 14. §. 5. *C. de ſacr. eccleſ.* 44 Quod ſuperius dictum eſt initio hujus capitis, locum habet, quoties primus vaſallus deceſſit ſine ſucceſſore maſculo vel agnato. 45 Feudum ſucceſſionem non habere dicitur, quod morte accipientis finitur, *ut hic*, & *tit.* 27. & 2. *feud.* 26. §. 2.
46 *tit.* 4. *ſupr. eod.* 47 *tit.* 6. Cujac. 48 *d. tit.* 4. 49 Iidem pares Curtis dicuntur *tit.* 2. §. 1. *tit.* 4. *paſſim.* S̃. *eod.* pares domus. *tit.* 11. J̃. *eod.* pares de domo. *tit.* 26. §. 1. J̃. *eod.* compares, convaſalli. 50 Teſtes extranei in aliis cauſis jure civili paſſim admittuntur. *l.* 1. *ff. de teſtib.* In feudis ſeu jure, pares Curiæ tantum admittuntur. 51 Probationum inopia (ut quia nulli ſint pares Curiæ) recurritur ad juramentum: eſt enim ſubſidium probationum jusjurandum. Sic apud Mimum, jusjurandum emplaſtrum æris alieni dicitur, vid. 16. Gell. 7. *in fin.* 52 Id eſt, jusjurandum. 53 Id eſt, vaſalli. Clientulus enim his libris ſumitur pro vaſallo. 54 *tit.* 4. §. 3. S̃. *eod.* 55 Sacramentales nunquam jurant, niſi aliqua ſuſpicio ſit vel præſumptio adverſus poſſidentem jurantem. Idem in purgatione canonica, quippe infamia apud bonos notatus, purgandus eſt Canonice, *c. cum in juventute ſua* 12. *x. de purg. canonica.* Ita quoque jure civili ad inquiſitionem non pervenitur, niſi præcedentibus indiciis. Cyn. *l. ult. C. de quæſt.* 56 *tit.* 4. §. 2. S̃. *eod. tit.* 28. *infr. eod.* 57 Dixi *tit.* 2. *ſupr. eod.* 58 Sine ſacramentalibus. 59 Atqui pares Curiæ teſtes eſſe non poſſe videntur: cum paulo ante dictum fuerit eos eſſe judices? Interpretes putant numerum parium ſpectandum eſſe, ut ſi ad utrumque munus ſufficiant pares, hoc eſt & teſtium & judicum, hi teſtes, illi judices eſſe poſſint: ſin pauciores ſint, ut per illos ſolos factum poſſit probari, teſtium officio fungentur, alius vero ſeu aliunde judex ſumetur. Sin per alios res probari poterit, pares ipſi judices ſint. In re tamen obſcura, teſtes eſſe debebunt: alter vero judex adſumetur. facilius enim reperiuntur judices quam teſtes: nam & nova inveſtitura per pares probatur, antiqua etiam per extraneos *cap.* 1. J̃. *qui teſtes ſint neceſſarii.* 60 *tit.* 11. 61 Præſumitur officialis multa ſuis ex bonis a domino quæſiviſſe: imo & ſubtrahere potuiſſe. adde *l. defenſionis facultas.* 7. *C. de jure fiſci. l. ſi defunctus.* 10. *C. arbitr. tutelæ.* 62 Ab actore. *l. ult. in fin. ff. de officio præſidis. l.* 1. §. 1. *ff. de off. procurat. Cæſar.* 63 *Lib.* 2. *tit.* 17. *de acquiſitionibus actorum regis.* Lombardi libros eſſe Authenticos hinc colligunt.
64 Præſumendus nemo eſt in feudum rem accepiſſe, quæ pignori tantum ei data eſt, niſi probetur. 65 Imo creditur. *tit.* 28. J̃. *eod.* Cur non creditur? Poſſediſſe jure pignoris, aliud ſane eſt a feudi poſſeſſione: & proinde non hoc probat, qui illud probat. 66 *tit.* 10. S̃. *eod.* 67 Hæc eſt natura feudi improprii. 2. *feud.* 81. ut poſt annum auferri quandocunque poſſit: ut judicis ſententia neque requiratur, neque tempus datum judicatis, niſi forte jus domini ſit incertum. 68 Feuda guardiæ & gaſtaldiæ non ſunt perpetua: cum quacunque hora poſt annum vaſallo ſuo poſſit ea auferre dominus. 69 *tit.* 1. §. 1. *tit.* 2. *ſupr. eod.*
70 *tit.* 7. Cujac. 71 *tit.* 4. §. 2. S̃. *eod.* 72 Frater fratri mortuo ſuccedere poteſt in feudo paterno. 73 Sive mediam, ſive majorem, ſive minorem: Ita partis poſſeſſæ ratione, præſumitur totum poſſeſſum. 74 Poſſeſſio multum confert ut jusjurandum poſſeſſori deferatur. 75 Hæc verba, *ſive non*, Cujac. expungit. 76 Præſumitur feudum potius novum quam paternum, vid. 2. *feud.* 11. *in fin.*
77 *tit.* 8. Cujac. 78 Id eſt, vaſallus. *verſ. etſi* J̃. *eod. tit.* 10. S̃. *eod. tit.* 79 *tit.* 5. *in fin. pr.* & §. 1. *ſupr. eod.* 80 Hodie ne quidem partem alienare poteſt ſine domini voluntate. 2. *feud.* 9. 52. 55. ut nec pignorare totum vel pro parte ſine voluntate domini. *c.* 1. *de prohibita feudi alienat. per Frideric.* 81 Poteſt tamen hodie ſubfeudare: nec enim hic prohibetur ſubfeudatio. *c.* 1. *qualiter olim poterat feudum alienari.*

quin, & feudum amittit, & non valebit quod factum eſt. Quod dictum eſt alienare, intelligas de libello [1]. [Huic conſuetudini derogatum eſt per legem Lotharii [2].] Mediolanenſes [3] vero irrationabiliter [4] conſiderantes dicunt clientulum etiam alienare poſſe in totum, & ſine domini voluntate. † Inde poteſt præſumi, ſi clientulus fecerit libellum in perpetuum de feudo ſuo alicui eccleſiæ [5], non valet: ideo [6] ſcilicet, quia [7] nunquam reverſurum ſit ad dominum, cum *eccleſia non deſinat* [8] *eſſe heres*: quod obſervandum eſt (&) in privato ex natura [9] perpetui libelli. Sed [10] diverſum obſervatur in eccleſia, quam in privato. Eccleſia [11] enim cultrix & auctrix juſtitiæ non patitur contra juſtitiam aliquid fieri in ſe, vel in alterum: privatus vero ſæpe obviat juſtitiæ. † Et ſi clientulus fecerit libellum, vel aliud [12] de medietate feudi ſine domini voluntate: eo mortuo ſine legitimo herede maſculo (quod verbum [13] ita intelligendum eſt in feudo, id eſt, ſine filio maſculo) revertitur [14] feudum ad dominum. † Si vero cum [15] domini voluntate totum, vel medium alienaverit, ſtabilis permaneat alienatio, fratri vero vel nepoti [16] per libellum facta alienatio, etiam [17] ſine voluntate domini. (Item [18] in feudo comitatus, vel marchiæ, vel aliarum dignitatum non [19] eſt ſucceſſio ſecundum rationabilem uſum: ſed hodie hoc eſt uſurpatum [20].)

TIT. XIV. [21].
[22] DE FEUDO MARCHIÆ, VEL DUCATUS, VEL COMITATUS.

In feudis dignitatum non ſuccedit heres, niſi ſit inveſtitus. Bald.

DE marchia, vel ducatu, vel comitatu, vel aliqua legali dignitate ſi quis inveſtitus fuerit per beneficium ab [23] Imperatore: ille [24] tantum debet habere, heres enim non ſuccedit ullo modo, niſi [25] ab imperatore per inveſtituram acquiſierit.

1. SI [26] capitanei, vel valvaſores majores, vel minores inveſtiti fuerint de beneficio: filii vel nepotes ex [27] parte filiorum [28] ſuccedunt. Si vero unus ex his filiis, vel nepotibus ſine deſcendentibus maſculini ſexus heredibus mortuus fuerit, prædicti [29] fratres vel nepotes per inveſtituram patris & avi in beneficium ſuccedunt. Et ſimiliter intelligendum eſt in conſobrinis [30].

2. SI [31] duo fratres ſimul [32] inveſtiti fuerint de beneficio novo, & non de paterno: ſi unus eorum ſine deſcendentibus [33] maſculini ſexus mortuus fuerit, dominus ſuccedit non frater: niſi [34] pactum [35] fuerit in inveſtitura, quod frater fratri ſuccedat. Per pactum enim frater ſuccedit, non dominus. Et quod diximus de fratribus, ut unus alii ſuccedat per pactum: idem [36] dicendum eſt de filiabus, [37] ſi hoc pactum conciliet: & ſic per pactum [38] filiæ [39] ſuccedunt.

TIT. XV.
AN [40] MARITUS SUCCEDAT UXORI IN BENEFICIO.

Maritus uxori non ſuccedit in feudo, etiam fœmineo, niſi ſpecialiter ſit inveſtitus. Bald.

SI fœmina [41] habens beneficium (& maritum [42]) moriatur: nullo [43] modo ſuccedit [44] in beneficium [45] maritus, niſi [46] ſpecialiter inveſtitus fuerit. † Et ſi ipſa fœmina filios dimiſerit: dicunt quidam [47], filios non debere ſuccedere in beneficium matris, niſi ſpecialiter ſit dictum, vel inveſtiti fuerint: quia ſecundum uſum regni [48] ad beneficium vocantur paternum, & non maternum. Sed ſecundum æquitatem [49] dicamus filios [50] debere ſuccedere. Hoc dicimus de capitaneis, & de majoribus valvaſoribus, & de minoribus: de minimis autem & de iis, qui beneficium tenent a majoribus [51] valvaſoribus, ſic ſervetur, ſicut inferius [52] dicemus.

TIT. XVI. [53].
DE FEUDIS DATIS MINIMIS VALVASORIBUS QUID JURIS SIT.

Minores valvaſoribus minimis feudum auferre poſſunt quandocunque, pretio tamen reſtituto, ſi quod acceperint. Bald.

SI minores valvaſores beneficium tollere voluerint minimis valvaſoribus, licet [54] eis facere: excepto [55] ſi beneficium [56] vendiderint [57] eis. Si vero pretium de beneficio acceperint, tunc aut pretium reddant, aut beneficium dimittant.

TIT. XVII. [58].
[59] QUIBUS MODIS FEUDUM AMITTATUR.

SI capitanei, vel majores valvaſores, qui hodie vocantur capitanei [60] (licet improprie dicantur minores) ſeniores [61] in bello dimiſerint [62] vel, ſi credentiam [63] ad eorum damnum ſcienter manifeſtaverint [64], ſi valvaſores ſeniorum uxores adulteraverint [65], ſi ſcienter ſeniores aſſalierint [66] vel [67] ſimiles [68] culpas commiſerint: beneficio carere debent.

TIT. XVIII. [69].
APUD [70] QUEM VEL QUOS CONTROVERSIA FEUDI DEFINIATUR.

SI contentio fuerit de beneficio inter capitaneos [71], coram Imperatore definiri debet. Si vero fuerit contentio inter minores valvaſores & majores de beneficio: in judicio parium definiatur, vel per judicem [72] curtis.

SI [73] aliquis de capitaneis, vel de majoribus valvaſoribus, vel de minoribus ſuum beneficium, ſive totum [74] ſive partem alienaverit [75] & [76] ipſe vel heres ejus ſine herede deceſſerit: quia beneficium ſenioribus aperitur, totum quod fecit, revocari debet.

1 Libellarius contractus quid ſit, vid. 2. *feud.* 9. J̃. 2 De qua vide 2. *feud.* 9. 44. 52. 55. Feudi alienatio omnis ſive univerſi, ſive partis feudi ſit, hodie prohibita eſt lege Lotharii. 3 Facit 2. *feud.* 44. 4 Conſuetudinem ſine ratione interdum admitti hinc notant: dum ne bonos in mores committat. 5 Quid? civitati num poteſt vaſallus in feudum dare? non poteſt, *arg. hujus capitis. l. An uſusfructus.* 56. *ff. de uſufructu.* 6 Cur feudum in perpetuum libellum dari non poſſit, adde 2. *feud.* 9. 7 Eccleſia heres perpetua intelligitur. 8 Idem pene dicitur de municipiis, *l.* 56. *ff. de uſufructu.* 9 Natura perpetui libelli quæ. 10 Vaſallo olim licitum erat feudi dimidium alienare per libellum; idque in privatum, non in Eccleſiam. Ita nonnunquam deterioris eſt conditionis Eccleſia quam privatus, quod fit ideo, ne cum alterius injuria locupletetur Eccleſia: Ita non fuerit hoc caput adverſus eccleſiæ libertatem. *Auth. caſſa, C. de ſacr. eccl.* 11 Eccleſiæ commendatio. 12 Id eſt, ſi pignori obligaverit. 13 Heredis nomine, jure feudiſtico, filius maſculus ex maſculo deſcendens non ex fœmina intelligitur, *ut hic*, & 2. *feud.* 34. §. 2. *verſ. profecto.* J̃. 14 Quia perempto jure auctoris, perimitur jus ſucceſſoris, *ut hic*, & 2. *feud.* 8. §. 1. *tit.* 9. *in pr.* 15 2. *feud.* 52. 55. 16 Id eſt, fratris filio, *ut tit.* 5. *verſ. item ſi fratrem.* S̃. *eod.* 17 Inter agnatos proximos aliquid permittitur, quod inter extraneos non eſt permiſſum, *ut hic.* Permiſſa eſt inter agnatos feudi alienatio ſine voluntate domini, at non in extraneos. Cur permittitur? hujuſmodi alienatio proprie non eſt alienatio, ſed refutatio potius feudi paterni ab initio. 18 Incluſa, ad ſequentem titulum pertinent, ejusque initium faciunt, proxime ante §. 1. 19 In feudis dignitatum, ſtricto jure (aliud uſu) non eſt ſucceſſio, *ut hic.* Cur non eſt ſucceſſio? hujuſmodi feuda vel dignitates ſucceſſione non quæruntur, ſed electione & conceſſione principis. 20 Conſuetudine ſcilicet & ita hoc verbum plerunque intelligitur. *l.* 13. §. *ult. ff. de injuriis. l.* 1. §. 6. *ff. de extraord. cognit.*
21 *tit.* 9. Cujac. 22 De inveſtitura Marchiæ, Ducatus aut Comitatus, & ejus ſucceſſione, & retentione. *Cujac.* 23 Regalium dignitatum collationes, ſummi principis ſunt. 24 In feudis regalibus dignitatem habentibus non ſuccedit heres, niſi de novo per inveſtituram adquirat. *Goth.* Hujus obſervantiæ veſtigium apud Hiſpanos adhuc viget. Ducalis enim dignitas niſi per Regem renovetur, non tranſit ad heredes. Zuareſ. *in l. quoniam. C. de inoff. teſtam. dubit.* 1. *in fin.* & *dubit.* 2. *num.* 10. Molin. *de primogen. Hiſpan. lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 20. & *ſeq.* Anſ. 25 Hodie uſurpatum eſt, ut feudum regale jure ſucceſſionis adquiratur. 2. *feud.* 55. §. 1. hoc eſt, deferuntur hujuſmodi feuda primogenito. Quid ſi incertum ſit, quis primogenitus ſit: An ambo admittentur ut vult Alexander? An ſupremus feudi dominus alterutrum prout voluerit, eligere poterit: ut poſt Baldum notat Alvarotus? Quid ſi Rex vel Dux ante regiam vel ducalem dignitatem indeptam filium habuerit, & alium poſt eam adeptam ſuſceperit? Hunc, non illum præferri notant: ſi modo conſuetudo non de primogenito ſimpliciter, ſed de primogenito Regis, vel Ducis loquatur. 26 De ſucceſſione feudi Capitaneorum & valvaſorum, *tit.* 10. Cujac. 27 *tit.* 1. §. 2. *tit.* 8. S̃. *eod.* 28 Id eſt, patrum ſuorum. 29 Filii, ſcilicet vel nepotis mortui. 30 Sobrinis, *Hot.* patruelibus. *Cujac.* 31 De ſucceſſione domini in feudo ejus, qui fratrem vel filiam habet. *tit.* 12. Cujac. 32 *tit.* 1. §. 2. *in fin.* S̃. *eod.* 33 In feudalibus ſucceſſionibus deſcendentes collateralibus favorabiliores, quippe deſcendentes aſcendentibus, ſuccedunt etiam in feudo novo: at non collaterales collateralibus, niſi hoc dictum ſit. 34 *tit.* 8. S̃. *eod.* 35 Frater fratri non ſuccedit in feudo novo, niſi ita pactum ſit. 36 Simile poteſt extendi in feudis, & ſic a ſimilibus ad ſimilia progredi poſſumus, etiam in cauſis feudalibus. 37 *d.* §. 2. *in pr.* Cujacius ſequentia addit ex manuſcriptis, in his omnibus videndum eſt, quid actum ſit inter contrahentes. Inveſtitura enim quæ fit ante duos, vel tres liberos homines, ſervari debet, niſi juri vel naturæ contraria ſit. Si ergo Domino & fideli placuit, ut paciſcantur de filiabus, quatenus ipſæ ſuccedant, hoc quoque ſervandum eſt, & ſic per pactum filiæ ſuccedunt. 38 Pacto derogari poteſt feudorum naturæ. Pacto enim poteſt effici ut fœminæ & collaterales ſuccedant in feudo novo. 39 Maritus non ſuccedit uxori in feudo, etiamſi nulli ſint propinqui uxoris. Ita titulus, Unde vir & uxor, juris civilis, locum non habet in feudis. Quod ita verum, ut etiamſi maritus una cum uxore inveſtitus ſit, ei non ſuccedat, niſi in inveſtitura adjectum fuerit ut ſuccederet.
40 De ſucceſſione feudi materni non conjugalis. *Cujac.* 41 Fœmina interdum capax eſt beneficii. 42 Feudum tamen in dotem marito ſuo uxor dare poteſt: adeo ut vaſallus marito ſervire teneatur non ipſi mulieri. 43 2. *feud.* 13. 85. 104. §. 2. 44 Liberi ſuccedunt in feudo materno, licet id in inveſtitura dictum non fuerit: quæ ſententia non uſu regni, ſed ex æquitate obtinet. Quid filii naturales? non ſuccedunt matri in feudo materno. Ita, *l. ſi qua illuſtris. C. ad SC. Orphitianum*, in feudis locum non obtinet: *c. naturales in fin. ſi de feudo defuncti.* 45 In alode tamen cognatos uxoris excludit. 46 *d. titul.* 85. 47 Stricto jure. 48 Regni proprie beneficium vocatur paternum &c. *Cujac.* 49 Æquitas juri ſtricto præferenda. 50 2. *feud.* 50. 51 A minoribus. *Cujac.* 52 *tit. prox. infr. eod.*
53 *tit.* 13. Cujac. 54 *tit.* 1. §. 5. S̃. *hic.* etiam non habita ratione culpæ. *tit.* 7. *verſ. ſi vero facta.* Hodie ſententia hæc correcta eſt ſecundum Gloſſam & Doctores; ut ſcilicet hodie non poſſint minores valvaſores, minimis ſuis valvaſoribus quandocunque velint feuda auferre reſtituto pretio: ut nec poſſunt iiſdem feuda auferre, ſine cauſa cognita & convicta culpa. 55 Vel niſi hoſtem fecerint Romæ. *d. verſ. ſi vero*, id eſt, niſi Romam cum domino in exercitu profecti fuerint, *tit.* 1. §. 5. S̃. *hic.* 56 Beneficium non vendiderint, quidam ita legunt, vid. *Cujac.* 57 *d.* §. 5. *d. verſ. ſi vero.*
58 *tit.* 14. Cujac. 59 Qualiter capitanei vel valvaſores feudo priventur. *Cujac.* 60 Capitanei licet improprie vel minores &c. *Cujac.* 61 Id eſt, dominos. 62 *tit.* 5. S̃. *hic. tit.* 21. §. 1. J̃. *eod.* 2. *feud.* 24. §. 2. 63 Id eſt, arcanum, ſecretum, ut 2. *feud.* 6. *verſ. tutum*, & *tit.* 7. *verſ. etſi aliquid mihi, tit.* 24. §. 2. *verſ. Item ſi delator* 3. *Conſt.* 2. *Neapolit.* 18. facit *l.* 38. *ff. de pœnis. l.* 6. *ff. de re militari.* 64 Credentiam domini manifeſtans vaſallus feudo privatur: ſi modo malo animo & nocendi domino, id fecerit, & damnum inde ſecutum fuerit. Idem ſi amicitiam cum inimicis domini vaſallus contraxerit. Amicitiam intellige non ſimplicem, ſed animo injuriæ & damni domino inferendi. Unde conſtat his caſibus vaſallum ignorantem non puniri. Hoc tamen inter ſuperiores caſus intereſſe dicitur: quod revelans domini ſecretum vaſallus probare tenetur, ſe non id feciſſe animo nocendi: cum amicitiam contractam cum inimicis domini, probare dominus teneatur. Priorem enim caſum illicitum eſſe, poſteriorem non æque: Cur? non eſt res illicita amicitiam contrahere. 65 *tit.* 5. *verſ. item ſi fidelis.* 66 Vid. *d. tit.* 5. *verſ. ſimiliter ſi dominum.* S̃. *hic.* 2. *feud.* 51. §. 2. 67 Similes culpæ ſimilem pœnam exigunt, ſimilis autem cenſetur arbitrio judicis. *l. non poſſunt.* 12. *ff. de leg.* 68 2. *feud.* 24. §. 2. *verſ. ſed quia natura.*
69 *tit.* 15. Cujac. 70 Forum feudale varium eſt. Quid enim ſi lis inter imperatorem & civitates fœderis Longobardici fuerit? pares civitatis & Comitatus judicant: niſi imperator ipſe in Longobardia ſit: tunc enim poteſt ipſe judex eſſe. §. *ſi qua controverſia. tit. de pace Conſtantiæ.* Quid ſi contentio eſt inter capitaneos Imperatoris? ſolus Imperator, *ut hic.* Quid ſi inter alios vaſallos? ſi utrique in aliis feudis non controverſis ejusdem domini ſint convaſalli, Dominus feudi judex erit: ſi unum conſtiterit vaſallum eſſe in alio feudo, quam contentioſo, Pares curiæ judices erunt: ſi dubium fuerit quis litigantium ſit vaſallus, ordinarius vel arbiter judicabit, *c. ſi inter. de lege Conrad.* ſi de feudo antiquo tantum inter ſe litigabunt Curia. *c.* 1. *de inveſt. in mar.* ſi unus antiquum eſſe, alter novum & proprium dixerit, pares Curiæ ſine domino cognoſcent. *c.* 1. J̃. *an apud judicem.* ſi plures inveſtituras proferent ipſi litigantes, ordinarius judex erit. §. *ſi duo. de pace tenenda.* ſi lis inter vaſallum & non vaſallum, Ordinarius. *c.* 1. *de contr. inter vaſ. & alium.* ſi inter dominum & alium non vaſallum, ordinarius quoque. §. *pen. de proh. al. feud. per Fred.* ſi inter dominum & vaſallum lis eſt, vel de inveſtitura, vel de amittendo feudo, vel de vi, vel de denegata juſtitia, pares Curiæ cognoſcent (niſi forte nimis ipſi domino faveant, vel niſi pares ipſi meticuloſi ſint: tunc enim vel officium præſidis advocatur, *arg. l. illicitas.* 6. *ff. de off. præſid.* vel imperatoris) ſi inter dominum, & eum quem dominus negat eſſe vaſallum, pares quoque cognoſcent. Bald. *d.* §. *pen.* Quid ſi citra privationem feudi criminaliter agetur ad vindictam, vel civiliter ex injuria, damno, interdicto? ordinarius cognoſcet. Bald. *c.* 2. *de lege Conradi.* Quid ſi juriſdictio privilegio, ſtatuto, vel conſuetudine ſit finita? ea ſpectanda fuerit. Bald. *d.* §. *pen.* Quid in cauſa appellationis? ſuperior cognoſcet. Vide hic & Ravennatem. Quid? juramenti ratione, Eccleſiaſticus judex eſtne in negotiis feudalibus competens judex? vid. Alvarotum §. *ult. de inveſtit.* 71 Id eſt, primi ordinis vaſallos, veluti Duces, Marchiones, Comites. 72 Judex Curtis judicabat inter convaſallos de feudalibus controverſiis: quo nomine Judex Curiæ dicebatur, videturque ita alibi legendum 2. *feud.* 15. *in fin.* & 46. *in fin.* 73 Quando per alienationem Capitanei vel valvaſores feudo privantur. *tit.* 10. Cujac. 74 *tit.* 5. & *pr.* & §. 1. *tit.* 13. S̃. *eod.* 2. *feud.* 44. 75 Sine domini conſenſu. 2. *feud.* 52. 55. 76 Hodie beneficium, ut alienatum eſt ſine conſenſu domini, ita ſtatim committitur. Ita hic §. ad jus antiquum pertinet.

TIT.